

Extra vero adhibentur collyria, quæ à quibusdam inter interna numerantur, embrochæ, litus, cerata, vnguenta, emplastra, pulres, cataplasmata, fomenta, frontalia, epithemata, balnea vniuersalia & particularia seu infessus seu semicupia, sacculi, cucuphæ, semicucuphæ, scuta, dropaces, sinapismi, cauteria, suffitus, pulueres.

De suppositoriis & nodulis.

C A P. XIII.

Medicamenta, quæ per anum induntur, duplicia sunt, suppositorium & clyisma. At cum inter medicamenta composita suppositorium sit simplicissimum, de eo primo acturi sumus. Dicitur autem Græcis, præsertim Hippocrati *a* βάλανος, quamuis & Pessus, quo ad vterum repurgandum vtimur, eidem *b* sæpe βάλανος dicatur: ὑπόθετον *c* Myrepzio; Glans subdititia Aetio: Balanismus & Pessulus Aureliano *d*. Latinis Glans, à similitudine glandis quercinæ. Fuerunt, qui collyria vocarunt, vt Columellæ *e*, & Aurelianus *f*. Vulgus suppositorium, quod ano supponatur, appellat. Est autem suppositorium *remedium solidum, oblongum & rotundum, pyramidis forma, quinque aut sex digitos longum*, quod ano ad eius sphincteris irritationem, & facultatis expultricis excitationem, ad excrementorum euacuationem inditur. Talis autem longitudo requiritur; cum toti recto intestino expultrix facultas indita sit.

Et si præcipuus suppositoriorum vsus sit, facultatem

tem

a de ratione
vict. in acut.

b 1. de mulier. 6.

c Sect. 6.

d lib. 4. tard. pass. 7.

e lib. 6. c. 6.

f lib. 3. c. 8.